

S. TH. SOEMMERRING
DE
MORBIS
VASORUM ABSORBENTIIUM
CORPORIS HUMANI

SIVE

DISSERTATIONIS QUAE PRAEMIUM RETULIT SOCIETATIS
RHENO-TRAIECTINAE ANNO M. DCC. LXXXIV.

PARS PATHOLOGICA.

ACCEDIT

INDEX SCRIPTORUM
DE SYSTEMATE ABSORBENTE.

F. P. Hagedorn

TRAIECTI AD MOENUM

SUMTIBUS VARRENTRAPPII ET WENNERI

1 7 9 5.



sectorum per vasa absorbentia ex aëre arreptis derivat. Saepius enim vel contusionibus vel pressionibus glandularum secernentium, vulgo conglomeratarum dictarum, ortos scirrhos in feminis non modo sed etiam viris novi.

Sic PETRUS CAMPER *m*) a contusione Mammae cancrum nascentem in flore aetatis feminae vidit. — Sic in iuvene cancrum mammarum a contusione ense globulo armato facta observavit.

Sic vestes arctae, Thoraces abominabiles, feminarum, Mammæ scirrhosas *n*) reddunt consentientibus omnibus attentis observatoribus.

Sic labii carcinoma ibi frequentissimum, ubi homines fistulis tabacinis indulgent; labium inferius enim solummodo carcinomate corripitur, quoniam inter fistulam tabacinam et dentes comprimitur.

Glandularum autem absorbentium tumor viru carcinomatoso obortus, etiam remoto per cultrum foco carcinomatoso malum recrudescere facit, adeo ut plerique chirurgi carcinoma insanabile iudicent, simulac glandularum absorbentium tumorem excitavit.

Sic BIERCHEN Cancrum Mammae insanabilem declaravit, simulac glandulae axillares tument.

m) Dissertatio de agendi vel exspectandi in medicina ratione.

n) Confer Dissertationem meam: Von der Wirkung der Schnuerbrueste. Berlin 1793. 8.